

Ps. xxxiv : *Non veniat mihi pes superbiae*. Agellius per has voces, *pesem superbiae*, pompam in incessu, quam vana gloria ciet, idonee commentatur. Sed cur affectum inanis gloriae sic incessu Prophetae timet? Et cur hanc levem arrogantiae noxam, pedis vocabulo designat? Scilicet, ut refert ex Lobbetio Corderius, quod superbo pes est unicus, ideoque sicut diu consistere non potest, qui unico tantum stat pede, eoque totam corporis incumbentis molem sustinet: ita etiam nec diu stare potest superbus peccator. Nulab ille, dubiumque librabit corpus; ac tandem praecipit in ruinam dabit.

e. — Non absque re per *valles* intelligi poterunt hujus vitae tribulationes, per montes et colles vero consolationum amenitates. Quod autem dicitur, *omnis vallis impletur*, idem est ac si diceretur, inanitas et profunditas vallis tribulationum impletur consolatione, et quidem ita ut illa consolationum altitudo se ad proportionem praehabita tribulationis dimittat; juxta enim tribulationum pro Deo toleratarum mensuram, consolationum spiritualium crescit, ino et superexcedit abundantia. Quam ob causam Theophylactus, quemcumque in servitio Dei amplectendo dubium et ancipitem alloquens, hocce eum exhortatur motivo: « Ne respondeas animam, quisquis audis afflictiones et mala; quanto enim haec exuberant, tanto exuberant consolationes. » S. Augustinus ait: « Sicut fructum florem anteedit, sic poenitentia et dolor letitiam praebet, et dolori letitia succedit. » Vos autem *contristobimini*, suis Christus praedicebat Apostolis; ecce flores; at qui eos subsequuntur fructus? *Tristitia vestra vertetur in gaudium*.

VERSUS 6.

Et videbit omnis caro salutare Dei.

Et videbit.

1. — Verbum illud increatum ab eterno in sinu Patris absconditum substituit: *Unigenitus, qui est in sinu Patris*, Joan., xi, 18. Unde Isaia, xlv, 45, merito de ipso dicit: *Vere tu es Deus absconditus*. Quinque autem millium annorum spatio et amplius, postquam caelum creasset empyreum (*Verbo Domini caeli firmati sunt*) in operibus quidem ab ipso creatis videri poterat, in facie autem nunquam factus est terrae visibilis, adeoque mortalium nullus se Deum vidisse dicere potuit, quia, *non videbit me homo, et vivet*, Exod., xxxiii, 20; at vero post paucos dies uniuersique homini visibilis apparebit, et descendet, Baruc., iii, 38: *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, sed quo fine? Joan., x, 10: *Veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Cajetanus dicit: « Ecce adventus Messiae omnibus carnalibus oculis manifestus, venit enim in vero corpore visibili, et sic publice conversatus est, ut potuerit (quantum est ex parte sui) ab universis

« oculis carnalibus videri. » Lucas Brugensis legit: « Omnis homo ipsis suis oculis corporeis. »

2. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *De vict. verbis*, l. iii, c. vii, ad illam ab Assnero Rege promulgatam legem sese reflectit, quia verebatur, ne ullus coram ipso nisi primo expresse invitatus et vocatus compareret; legisque illius frequentibus verbis tangit mysterium: « Ut Rex magni imperii plus homine putaretur habere aliquid, et ne vilior fieret ex usu publicae visionis; » verum non ita suprema illa Majestas facit, *quam adorant Dominiones, tremant Potestates*; quia potius ut nostram operaretur redemptionem, primorumque parentum peccatum expiraret: *Ecce quasi unus ex nobis factus est; in terris visus est, cum hominibus conversatus est; videbit omnis caro; opprobrium hominum, et abjectio plebis*; non enim solum dignatus verbis pro nostra salute homo fieri, sed homine quid minus, ut ita loquar, fieri voluit: *Ego sum vermis non homo*.

3. — Considerandum est autem, quod non unusquisque hominum ipsum velut salutare, et Salvatorem aspiceret poterit, sed illi tantum, qui per condignas preparationes ad illum recipiendum sese disponunt. Unde Lucas Brugensis ait: « Quem scilicet quicumque cum fructu salutis videre vult, et digne excipere, ut debet, necessum est ut ejus vita moresque sint hac ratione preparati. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, » non oculus corporalis, sed cor mundum oculus ille erit: qui utiliter et fructuose in Salvatore deligi poterit.

4. — Sciendum quoque est, verba haec ex Isaiae prophetia, xl, 4, desumpta esse, qui postquam dixisset: *Erum prava in directa et aspera in vias planas*, immediate subjungit: *Et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*.

5. — Salmeron ad illa verba: *Quod os Domini locutum est* sese reflectens, dicit: « Significant, « quam sit Deus verax, quomodo adimpleat quae promisit. » Enimvero quod gloriae Dei in ejus Nativitate factam revelationem attinet, de ea nemini dubium esse potest, siquidem mox ut natus fuit, Angelorum hierarchiae ipsum terrae annuntiantes, caelitus descenderunt: « Gloria in altissimis Deo; de Virgine nasci dignatus est, ut hominem perditum ad caelestia regna revocaret. » Ad haec Salmeron ait: « Ex adventu Domini revelata est gloria Domini, id est, Filius Dei, sive vera Dei cognitio in mundum introducta est. »

Omnis caro.

6. — Id est, *omnis homo*, quia in Scriptura sacra Caro idem est quod Homo. *Verbum caro factum est: Omnis caro corruerat viam suam*. Quodsi vero nomine carnis peccatores intelligere velimus, de illis quoque verum erit dicere, quod de Filii Dei in hunc mundum adventu participes futuri sint, non

quidem ad utilitatem, sed ad damnum et perniciem ipsorum, idque propria ipsorum culpa; etenim ipsum quidem videbunt, sed ut severum judicem, quem tanquam misericordem Redemptorem contempserant. Porro in vigilia Natalis Domini hisce verbis Deum rogabimus: « Praesta ut unigenitum Filium tuum, quem Redemptorem leti suscepimus, venientem quoque judicem securi videamus. » Glossa ex adducto Bedae testimonio ita loquitur: « In hac vita omnis homo Christum videre non potuit, sed in die judicii in sede Majestatis et electi, et reprobi pariter videbunt, ut justis remunerentur, et mali in eternum gemant. »

7. — Titus Bostrensis haec verba de fructu redemptionis nostrae exponit, qui ad omnium salutem ordinatus erit; siquidem vult omnes salvos fieri, « voluntate anteedenti, » ut scholae loquuntur: « Quia eo potiuntur omnes, et fructus ac virtus ejus dilatabitur usque ad fines terrae. »

8. — S. Bonaventura pariter de promulgatione Evangelii per totum mundum facienda interpre-

tatur, addoque illud Psalmi xxvii, 3: *Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri*.

9. — Dionysius Carthusianus nihilominus ita exponit: « Omnis homo, id est, aliqui de omni genere hominum corporaliter aspererunt: *Ecce lotus mundus abiit post eum.* »

Salutare Dei.

10. — Lyranus ait: « Id est Christum; » hic enim a sancto sene Simeone, dum eum pectori suo foriter adstringeret, hoc titulo appellatus fuit: *Viderunt oculi mei salutare tuum*, Sciendum est autem, quod, ubi Vulgata nostra, Jer., xxxi, 22, legit: *Poenia circumdabit virum*; septuaginta legunt: *Circumdabit novam salutem*, ac proinde jure merito Saluator appellatur: *Ipsa enim salvam faciet populum suum*.

11. — Euthymius ait: « Salutare, lumen Evangelii, vel salutarem incarnationem, quae ambo praeparavit Deus ante faciem omnium populorum. »

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS

EVANGELIUM LUCE, CAP. II, VERS. 33

33. Erat Pater ejus et Mater, mirantes super his, quae dicebantur de illo.
 34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam Matrem ejus: ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum, cui contradicetur.
 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.
 36. Et erat Anna Prophetissa filia Phanneel de tribu Aser: haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.
 37. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor, quae non discedebat e templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.
 38. Et haec, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.
 39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galileam in civitatem suam Nazareth.
 40. Puer autem crescebat, et confortabatur; plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.

Versus 33.

Erat Pater ejus et Mater, mirantes super his, quae dicebantur de illo.

1. — Syriaca legit: *Mirabantur, Vatablus: Tenebantur autem Pater ejus et Mater admiratione*. Toletus dubium hoc loco movet, qua ratione videlicet admiratio isthaec in matrem ejus cadere potuerit, cum haec a novorum et inopinatum eventuum ignorantia communiter provenire soleat, ipsa autem

omne id quicquid illi Simeon dixit, seu potius praedixit, optime sibi perspectrum habebat, utpote quae « Regina Prophetarum, » ab Ecclesia appellatur. Quod enim Simeon senex Salvatore ad populum Israel redimendum, gentesque illuminandas venisse illi praedixit, hoc totum pridem antea perspicuum illi fuerat, prout ex ejus sacro Cantico clare deducitur, ubi inter alia ait: *Suscipit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros*; Archangelus quoque de divino ejus partu illi revelaverat, dicens: *Salvum*

faciet populum suum a peccatis eorum. Tres quoque Reges Orientales tanquam gentilitatis primitias in Bethlehemi ipsa susceperat, quomodo igitur gentium illuminationem ipsam in admirationem rapere potuit? Tandem vero idem Toletus hisce verbis respondet: « Respondeo non semper admirationem esse eorum, quae ignorantur, sed etiam eorum quae captam, et virtutem nostram superant, etiamsi nobis jam notificata sint. Sancti enim viri saepius admirantur mysteria divina, immensitatem bonitatis Dei, multaque alia hujusmodi, etiam si jam ante sint ab eis fide percepta; nam admiratio ex fide saepe procedit, ut non aliud sit admirari, quam magnificare. » Dionysius Carthusianus in eundem sensum hisce verbis loquitur: « Mirantes non admiratione dubitationis, sed reverentiae et congratulationis, hoc est magnalibus atque magnificentibus de puero Jesu prolatis a parentibus Praecursoris, ab Angelo, exercitumque angelico, a pastoribus quoque, et Simeone, mirabantur quod de eo, qui tanta paupertate et humilitate adventi, tam altissima dicebantur, quod scilicet esset salutare Dei Patris, et omnium Dominus, lumen gentium, gloria Iudaeorum, mundi Salvator, unigenitus Dei, verus Deus; » quae omnia beatissima Virgo, et S. Joseph perfectae quidem sciebant, mirabantur tamen, quod cum alii ipsum in tanta viderent paupertate viventem, ipsum nihilominus tanquam immense majestatis venerarentur, cunctisque annuntiarent velut verum Messiam, et promissum Salvatorem.

2. — Didacus Stella postquam eandem difficultatem movisset, quomodo scilicet Maria et Joseph hujus admirationis affectus potuerint esse capaces, hunc in modum quoque respondet, id mirum factum esse: « Ex ampliori noticia rerum divinarum; opera enim Dei quanto amplius cognoscuntur, tanto admirabilis mentem suspendunt. »

3. — Incertus quidam Auctor in Catena Graeca, aliam causam, unde talis admiratio nonnunquam procedit, assignat, dicens: « Quoties transcendendum rerum notitiam in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum. »

4. — S. Bonaventura, in *Luc.*, pariter varia motiva adducit, ob quae caelestis ille partus admirabilis esse videatur: « Mirantes; nam Christus admirabilis est, secundum quod mediator, secundum quod Salvator, secundum quod Doctor in sapientia. » Euthymius admirationem hanc non tam super ea, quam a Simeone audiverant, accidisse censet, quam super ea quae de ipso futura esse praevidebant: « Non quod tunc primum de illo audissent, sed quod praeterea quae prius didicerant, adhuc mirabilia percipiebant. »

5. — Aliam hujusce admirationis rationem Carthusianus assignat, dum ait: « Mirabantur quoque

non parum se electos ad tantum mysterium, et quod mundi thesaurus eis esset commissus. »

6. — Toletus notat, admirationem cadere posse vel super ea quae accidunt, vel super personas, qui aliquid stupore dignum dicunt, vel faciunt; sic Lucas autem, in hoc nostro casu, super quid ipsorum admiratio ceciderit, clare satis expressit, dum ait: « Mirantes super his quae dicebantur de illo. » Evangelista quidem, qua de re in specie admirati fuerint, non declarat, quia motiva ob quae in admirationem rapiantur multa, eaque omnia stupenda erant. Legatur Discursus undecimus de Nativitate Domini nostri, *Promptuarii sacri*, super illa verba: « Mirati sunt. »

Additiones.

a. — Erat Pater ejus et Mater mirantes super his quae dicebantur de illo. Hoc rerum divinarum premium est, ut quanto magis penetrantur, tanto mirabilius mentem suspendunt. Hoc sensu admirabatur beata Virgo Maria, cui haec ea quae de Christo dicebantur, alias nota essent, ac proinde earum causa admirandi fuisse dici congrue non possit, cum admiratio sit quaedam inopinata cognitio, quae oritur ex visione effectus et ignorantia cause; tamen quia res illas magis penetrabat, hinc in novam causam faciendam admirationem. Hoc quoque nobis faciendum restat, qui haec sciamus, quod Christus de caelo venerit, et infans natus sit, et in mundo passus sit, ut nos duceret ad gloriam, tamen si tantam Dei in nos dignationem admiremur, hocque aliis mente repetamus, quid nobis faciendum sit, ut ad eam gloriam perveniamus, studiosius inquiremus. Deus autem ille de quo scribitur, *Ps. xxxii*, 6: « Verbo Domini caeli firmati, qui et de seipso dicit, *Joan.*, x, 9: *Per me si quis introierit salvabitur*, is, inquam, dum quondam interrogaretur: *Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?* *Matth.*, xix, 16; brevis quidem, sed gravibus verbis respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Regnum enim colorum in nostra positum est voluntate: *Si vis.* Unde S. Thomas Doctor Angelicus, a sorore sua requisitus, ut pro assecuranda ejus salute, et vita sanctitate facilius assoquenda, breve aliquod ipsi praescriberet documentum ei praescriberet, S. Doctor eidem unico verbo id fieri posse respondit, nimirum, « volendo. » Is enim qui tantam vitae aeternae Dominus, de eadem absolute valet disporre, illius acquisitionem in arbitrio et voluntate nostra possit dicens: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Et quidem praecipua quae Deus nobis observanda proposuit, non ad ejus propriam

ordinantur utilitatem, dicente Psalmo xv, 2: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egesset; sed potius ad utilitatem diriguntur nostram ut scilicet ab ipso remuneremur, caelestisque regni ipsius efficaciam participes. »* Quid vero unquam tam superbum, quid vero tam ingratum « videri potest, » inquit S. Hieronymus, lib. II, *Ep. xx*, « quam adversus ejus vivere voluntatem, a qua ipsum vivere acceperis? quam illius praecipua despiciere, qui ideo aliquid imperat, ut causas habeat remunerandi? neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio, mandata ejus desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, dulciora super mel et favum; quoniam in custodiendis illis retributio multa. » Quantum nobis lux placet et utilis est, tantum quoque lex nobis grata et accepta esse debet: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, inquit Psalmista, *Ps. xviii*, 9. Et Sapiens, *Prov.*, vi, 23, filio suo dicit: *Mandatum lucerna est, et lex lux et via vitae.* Albertus Magnus verba illa apud S. Lucam: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* ponderans, dicit: « Radix immortalitatis custodia est legum divinarum, juxta illud Sapientis: *Custodia legum consummatio est incorruptionis.* » Et ideo anima quae irreprehensibilis et immaculata esse desiderat, divinam legem, zelose et sollicite custodiat.

Lex Mosaeica jugum quidem erat quoddam insupportabile; dicit enim Petrus, *Act. Ap.*, xv, 10: *Jugum quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* De nova lege gratiae, Propheta Evangelicus, *Isaia*, x, 17, vaticinatus est dicens: *In die illa computrescet jugum a facie obli.* Ubi per oleum charitatem intelligit; quia sicut hic liquor omnibus supernaturat, ita inter omnes alias virtutes, amor Dei superexcellit: *Majior autem horum est Caritas; I Cor.*, xiii, 13. Ac proinde *Isaia* dicere vult, jugum divinae legis, in nova gratiae lege, futurum esse suave, atque ad portandum leve et facile. Unde et Salvator noster Hebraeos his verbis invitavit, *Matth.*, xi, 28, 29: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos; jugum enim meum suave est et onus meum leve.* S. Bernardus, *Epist. lxxii*, dicit: « Lex Christi onus est allevians » et a jugo liberans, similis pennae avium, quae corpulentiores reddunt substantiam et agiliorem. » Et ideo S. Thomas de Villanova optime notat, quod Deus viam ad beatum regnum suum charitate mediante, valde faciliem et plenam reddiderit: « Quam levis et facilis est ascensus ad tantam gloriam! »

b. — Admirabatur Sanctissima Virgo, quae audiebat et videbat in Christo, et conferebat in corde suo, magna illa, et ingentia mysteria, per quae generis humani salutem operatus esset Christus; unde tanta laetitiae spiritualis abundantia oriebatur, ut limites exuperans animae, in ipsum etiam corpus redundaret, eique consolationem et vigorem com-

municaret. Ad seriam enim divinorum mysteriorum considerationem et collationem, talis oritur laetitia, cujus effectus est animam confortare.

« Eternorum gaudiorum contemplationem immeritus Regis Propheta, quondam exclamasse fertur: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine. Concupiscit et deficit anima mea; volens insinurare se a beatis victum delicias, sensim pali alienationem, tamque immensa paradisiacarum dulcedinum obrui superabundantia, ut deficiente anima, ipsum quoque corpus ineffabilibus fuerit perfusum gaudiis, ideoque subjungit: Cor meum, id est anima, et caro mea, scilicet corpus, exultaverunt.* Euthymius a Glossa citatus inquit: « Non hoc tantum, inquit, accidit animae meae, sed et corpus meum in Christo latatum est. Primo cor laetitia afficitur; » deinde gaudium in universum corpus diffunditur. » Sed Apostolus, *Gal.*, v, 17, dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Quomodo igitur astruit David, carnem, spiritumque ejus in laetitia atque exultationibus caelestibus simul tripudiasse? Respondet S. Hieronymus: « Hoc non potest dicere nisi ille qui in amore Dei tota mente defixus est. »

Spiritus Sanctus de gaudiorum spiritualium abundantia agens, hanc plerumque nobis sub fluvii aut torrentis exhibit metaphoram. *Ps. lxxv*, 5: *Fluvius impetus laetificat civitatem Dei.* *Isa.*, lxxvi, 12: *Declinabo super eum quasi fluvium pacis.* *Ps. xxxv*, 9: *Torrente voluptatis tuae potabis eos.* Nec sine mysterio, quia sicuti torrentes quandoque adeo inundant, suosque egrediuntur limites, terraque destructa, per vicinos spatiantur campos et agros, ita quandoque, et anima sancta tantum dulcedinum et suavitatum spiritualium patitur diluvium, ut spirituales animae egressum limites, in sensus, corpus et carnem transfundatur.

S. Joannes Evangelista omnes supervivens Apostolos, dierumque plenus, in ferventis quidem olei caecubum conjectus fuit; ast per divinam Providentiam, non modo evadit illatus, sed purior et vegetior exiit quam intravit. Oleum laetitiae symbolum est, ideoque merito dicere poterat hic sanctus Apostolus, cum Psalmista, *Ps. xli*, 5: *Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam praeclarus est.* Memoriamque vestram subterfugit quod de S. Antonio Magno testimonium dedit S. Athanasius: « Semper hilarem faciem gerens, » inquit ille, « liquido ostendebat se de caelestibus cogitare, sicut » Scriptura ait: *Corde latante vultus floret.* » Idem traditur de S. Romualdo, qui centum et viginti annorum spatio, quorum centum in austerissimis transiit penitentibus: « Rerum caelestium meditatione, vim lacrymarum profundens, fruebatur; » unde tamen adeo leto semper erat, ut intentes « exhilararet. »

c. — Res divinae atque mysteria, quae captum

nostrum superant, licet sint nota, menti tamen nostrae sese iterum ad illa recipienti, admirationem causant, ut haec admiratio nos in amorem et obsequium Domini impellat, aut per timorem divino iudiciorum a culpis avocet: et ita admirabatur Joseph et Maria, non haerentes in sola admiratione, sed transibant ad amorem et obsequium Domini. Mirantur vero peccatores cur damnati qui Deum temporaliter offenderunt, in inferno nihilominus, in aeternum sint puniendi; sed pauci emendantur, cuius divini rigoris variae sunt consideranda rationes.

S. Bernardinus inter alias hujus aeternitatis poenae damnatis debite convenientias, hanc quoque adducit: « Sicut justi debent a Deo, ex misericordia, aeternaliter premiari, ita et injusti, ex justitia, aeternaliter cruciari. » Rationem vero hujus convenientiam sequentibus confirmat verbis: « Perique quae solam immensitatem divinae misericordiae considerantes, magnitudinem divinae justitiae non attendunt, cum nec minor, nec minus aeterna sit Dei justitia, quam ejus misericordia, nec minor, nec minus aeternus debet esse ipsius effectus in damnandos puniendos, quam effectus misericordiae, in salvandos et beatificandos. » In progressu ejusdem sermonis, *tr. II, Serm. XII, art. 3, c. II*, idem Sanctus universalem ostendit utilitatem, quae in rempublicam exinde resultat, quod divina justitia sempiternam culpae statuerit poenam: siquidem, haec ratione, transgressoribus divinarum legum, eorumque licentiae et dissolutioni, tanto majus et efficacius frenum injicitur.

Nec obstat quod transgressio actus sit transitorius et finitus, poena autem aeterna. « Peccati perpetratio, addit S. Bernardinus, » quasi contractus est, et emptio infernalium tormentorum, neonem et venditio, qua pretio brevissima voluptatis, seipsum tam anima quam corpore, vendit peccator insanus. Cui autem dubium, quin ex emptione, et venditione, quantumcumque brevi tempore fiant, et jus perpetuum rei emptae acquiratur emptori? » S. Augustinus I, *de Civ. Dei* II, sic argumentatur: « Quid in vineulis? Numquid tibi tamdiu quisquis judicandus est esse debere, quamdiu fecit unde meruit alligari, cum justissime annosas poenas servus in compediibus pendat qui verbo aut ietu celebrissime transeunte, vel lassavit Dominum, vel elagavit? »

S. Bernardinus, *tr. II, Serm. XI*, aliam quamdam perpalliatam, quae in poenis est, rationem assignat, nimirum quia poena correspondere debet continuationi perpetuae culpe. Porro quod peccatum in anima damnata per omnem aeternitatem duret, verissimum est, quia peccatum non aboletur ab anima, quae in eo moritur obstinata, sed perseverat. Peccata in damnatis semper remanent, et nunquam finiuntur, quia semper in odio Dei persistent,

eumque incessanter blasphemant. Ex Alberti Magni doctrina, « damnatus de peccato perpetrato nunquam habebit veram poenitentiam; ideo Deus nunquam mutabit conditionis illius sententiam. » Quibus verbis paulo ante, idem auctor praemisit: « Materia ignis est aeterna, scilicet macula peccati, ergo et poena. »

S. Bernardinus, in opere jam citato, *art. I, c. II*, iterum dicit: « Quanto in majorem peccatur, tanto magis peccatur; quare si in infinitum majorem, et in infinitum magis. Quia ergo Deus in infinitum major est quocumque alio, ideo in infinitum magis peccatur in Deum, quam in hominem, eodem genere culpae; v. g. si occiditur homo Deus, et occiditur homo qui non est Deus, in infinitum majus est peccatum occidio Dei quam hominis. Eodem modo, si conspuitur homo, vel conspuitur Deus, vel percutitur homo, et Deus, in infinitum majus est peccatum. Longo gravius est aeternam quam temporalem ledere majestatem. » Cui eadem considerationi Albertus Magnus insistens, talem dat conclusionem: « Peccatum est contra illum qui est infinitus, ergo poena debet esse infinita. Sed hoc non potest esse acerbitate; unde oportet quod fiat diuturnitate. »

d. — Mirabatur Virgo caeque de Christo spargebantur, et subjungit S. Lucas: *Haece conserbat in corde suo*. Nec tibi sufficit audire solum mysteria Dei et tuae salvationis, sed illa conferas in corde tuo et rite perpendas, ut illi gratus respondeas, si amorem Dei in illis experiris. Beneficiorum enim divinarum cognitio, neonem sedula recogitatio, ex eaque orta gratitudo, legis divinae observantiae, perfectioni et charitati cooperatur, modo cum corde puro et mundo hoc tributum exsolvas.

Regius Propheta David, oculum suum ad beneficia a liberalissima manu Dei recepta, directum habuit, siquidem semper haec verba, *Psal. cxv, 12*: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi?* in corde suo ruminavit; ac proinde aliud quod se gratum exhiberet, minime inveniens, pro acceptorum beneficiorum retributione, exactam ei praecceptorum divinarum observantiam obtulit, dicens: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas. Ps. cxviii, 112*. Ex qua Davidis protestatione deducitur, quod divinarum beneficiorum seria recordatio, ingens sit ad divinae legis observantiam stimulus, et pariter frenum, quo ab ejus praeparatione abarcentur. Optime igitur monet D. Chrysostomus, *Hom. xxvi, in Matth.*, inquit: « Deo semper gratias agamus; est enim prorsus absurdum, nos opere quidem ipso, beneficiis ejus quotidie perfruere, fruentes, gratias ei nec opere persolvere, et hoc cum nobis rursus prosit ipsa confessio; neque enim ille alienius nostri eget; sed nos omnium quae illius sunt, indigemus, siquidem gratiarum actio illi quidem nil omnino addit, nos autem

magis illi familiares facit... Si enim nos hominum beneficia recordantes, vehementius eorum amore succendimur, multo magis, beneficiorum in nos Dei memores, studiosiores erimus, ad illius mandata servanda. Idcirco Apostolus ait: « *Et grati estote*. Optima quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum actio. »

Ad nostrum propositum faciunt haec verba D. Augustini, *Serm. lxxvii*, de tempore: « Certum est, fratres charissimi, quod si semper beneficia Dei nostri, quae nobis nullis precedentibus meritis nostris collata sunt, assidue cogitamus, peccata nostra nobis non dominantur; aut si forte subrepserint, cito per poenitentiam corrigantur. » Idem praclarissimus Doctor in libro *de Diligendo Deo*, ita scribit: « Ad Dei dilectionem in nobis excipientem dam, nutriendam et agendam, nihil ita valet sicut beneficiorum ejus frequens et diligens recordatio, vel consideratio. »

e. — Quoniam illa sint quae de Jesu in ea occasione dicta fuere, ex sequentium contextu verborum sufficienter patet, dum de gladio doloris, animam B. V. Mariae penetrato, mentionem facit Simeon. *Mirantes erant Maria et Joseph super his quae dicebantur*, non admiratione dubitationis, sed reverentia, congratulationis, jubili, et gaudii. Talis enim est eorum mysteriorum quae proxime ad salutem nostram cooperata sunt, natura, prout est Passio Dominica, ut ad eorum considerationem et collationem oriatur laetitia et gaudium maximeque interna consolatio.

Advertendum, hoc loco est, Sponsam in sacris Cantibus, per quam anima electa praefiguratur, dicere, *1, 11*: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea, commorabitur*, id est, ut Doctor mellifluus declarat: Passio dilecti mei cordi meo semper impressa manebit. At vero vultus scire qualisnam fuerit illa consolatio et suavitas, quam ab amaritudine hujus myrrhae hauriebat? Haec ipsa indicatur verbis immediate subsequentibus: *Botrus Cyprae dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*. Uva enim Engaddi suavissima erat, ac proinde symbolum erat botri, id est Christi, in ligno crucis suspensi, et per botrum ex terra promissionis in recte allatum praefigurati, ac demum sub torculari illo expressi de quo scribitur: *Torcular calcavi solus*. Sicut autem vinum laetificat cor hominis, ita pariter sanguis ab hoc mystico crucis torculari expressus, dum animas sibi devotas rigat, dulcedine et suavitate paradisi easdem inebriat.

Matth., vii, 16, Salvator noster quidem ait: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficos?* Hoc autem quod naturaliter impossibile videtur, in multis animabus spiritualiter adimpletur; siquidem ex spinis et juncis marinis, quibus sacratissimum Redemptoris nostri caput

transfixum fuit, suavitas et dulcedo spiritus veraciter colligitur.

VERSUS 34.

Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel; et in signum cui contradicetur.

Et benedixit illis Simeon.

1. — Ex hisce verbis, Cajetanus Simeonem sacerdotem fuisse arguit, quia in veteri lege ad hoc solum pertinebat filios Israel benedicere, prout in libro *Numerorum, cap. vi*, legitur, idque tanto verisimilius esse videtur ex eo, quod benedictio haec in templo facta fuisse dicatur: cuius aliam quoque rationem adducit, dum ait: « Imo significatur quod pars caeremoniarum erat hujusmodi benedictio, ex hoc quod utrique parenti benedixit. » Dionysius Carthusianus usum fuisse scribit dandi benedictionem genitoribus, filium in templo, cum oblationibus in lege praecipitur, offerentibus. Toletus advertit, eos, qui Simeonem sacerdotem fuisse negant, pariter haec benedictionem solemnem vel talem, qualis in lege praecipitur fuerat, existisse minime admittere: « Hanc benedictionem non solemnem, nec quae ex auctoritate fit, interpretatur, sed communem, qua ex voto bona alteri precari, aut eos beatos aut felices praedicari a solemis; » tametsi ipse nihilominus aliam opinionem verioris esse censet, sequentem potissimum ob causam: « Cum enim S. Lucas narret, a parentibus Christum esse praesentatum in templo, nec ullius alterius sacerdotis mentionem faceret; » cum verisimile sit, et ex Scriptura deducatur, a sacerdotibus pueros praesentari, infertur Simeonem ipsum fuisse sacerdotem. »

2. — Quoniam autem in re benedictio haec substulit, variae haec de re sunt opinionis. Albertus Magnus dicit: « Creditur quod, sicut benedixit Heli Annam pro foenore quod accommodavit, multo magis Simeon, qui major fuit quam Heli, benedixit parentibus Jesu pro Redemptore, quem obtulerat Domino in templo suo. » Hugo Cardinalis existimat, quod cum S. Lucas hujus benedictionis formam non expresserit, credibile sit illam quamdam fuisse gratiarum actionem: « Benedictio potest intelligi gratiarum actio; sic enim benedicit creatura Creatori. » Dionysius Carthusianus in examinanda hujus benedictionis qualitate, praeter ceteris fusior est, qui haud procul a vero abesse existimat, benedictionem hanc illi valde fuisse similem, quae in libro *Numerorum, cap. vi*, describitur hisce verbis: *Locutus est Dominus ad Moysen, et Aaron, dicens, sic benedicetis filiis Israel: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te; ostendat*

Dominus faciem suam tibi, et miseratur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Veruntamen opinionem suam quoad hoc, sequentibus verbis subjungit: « Rear quod Simeon specialiter omnino benedictione, benedixerit Mariae, et « Joseph. » Ad hæc duo benedictionum genera distinguit, dum ait: « Hoc quoque sciendum, quod « duplex est benedictio, videlicet consecrationis, « vel donationis et laudis; benedictione consecra- « tionis, vel donationis major benedicit minori, et « Deus creatura, juxta illud Apostoli: *Sine ulla « autem contradictione, quod minus est a meliore « benedicitur.* » Qualis autem benedictio illa sit, qua Deus creaturæ benedicit, his verbis ibidem declarat: « Benedictio, qua Deus benedicit creaturæ, « est collatio munerum ejus, et multiplicatio eorum- « dem: benedictione autem laudis minor benedicit « majori, sicut Simeon benedixit Deo; et in « Psalmo cantamus: *Benedicam Dominum in omni « tempore, semper laus ejus in ore meo.* »

3. — Jansenius dicit, quod ex hac benedictione nulla deduci possit Simeonis supra B. Virginem et S. Josephum præcellentia aut superioritas. « Hujus- « modi benedictio non arguit excellentiam majoris benedicientis, sed tantum votum animi « ejus. » Toletus dicit: « Benedixit, id est, bene- « dictam ab omnibus benedicendam prædicat. » S. Bonaventura ait: « Benedixit, id est, benedictus « prædicavit, Mariam, quia concepit, et Joseph, « quia educavit. »

4. — Considerari quoque hoc loco potest, Patrem æternum, quo tempore Filius ejus infans erat, duobus senibus decrepitis inspirasse ut eum benedicerent, laudarent et magnificarent: at vero quando idem Dei Filius ad annos maturos pervenit, infantem et lactentium movisse linguas, acclamantes ei: *Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth., xxi, 9.

Et dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce positus, etc.

5. — Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod subito, ut Christus natus est, mors ejus intinetur, mundoque eum in multorum ruinam et exterminium venisse, contestatio fiat? Et tamen suavissimæ simul Angelicorum spirituum per æera resonantes melodia, auribus nostris percipiuntur, quibus ipsum in salutem nostram promovendam venisse declarat. Unde Ecclesia canit: « Gaudet « exercitus Angelorum, quia salus æterna humano « generi apparuit; » Item: « Ecce Rex tuus venit « sanctus et Salvator; » Et in hymno ad laudes recitari solito dicitur: « Beatus auctor sæculi ser- « vile corpus induit, ut carne carnem liberans, non « perderet quos condidit. » Cur igitur simul cum Christi natalitate, mors et perditio multorum annuntietur? Pro hujus difficultatis resolutione advertendum est, quod, tametsi verum sit, Angelos

in Christi natalitate annuntiasse pacem, hæc tamen non omnibus promiserunt; quibus ergo? *Hominibus bonæ voluntatis*, id est, ut Chrysostomus ait: « Illis « qui suscipiant natum Christum. » Filius Dei Salva- tor natusur, sed illis duntaxat, qui volunt salutem, non vero eis, qui illam rejiciunt, aut ea abutuntur.

6. — Porro sol per benignos influxus suos, salu- tiferosque radios, spiritus quidem humanis corporibus imprimat vitales, et tamen idemmet astrum per eosdem splendores suos, caput hominis et cere- brum illius nonnunquam ita distemperat, ut per catharros et guttam apoplecticam persepe necem eidem subitaneam inferat, quod tamen malum non a luce solis, sed a malorum humorum infirmi corporis nostri indispositione procedit. Sapientia incarnata, die quadam, cum quodam Principe synagoga de imperscrutabili Incarnationis mysterio disserens, Joan., iii, 16, ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Finis autem, cur Filium suum donarit, salus nostra fuit; unde subdit: *Ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam;* igitur in resurrectionem illum nobis dedit, non in ruinam; unde et paulo post subjungit: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;* quibus verbis utique indicare voluit, quod primus suus adventus non ad judicandum mundum, sed ad eundem salvandum directus fuerit: qua igitur ratione factum est, quod Simeon per æternæ veritatis oraculum dixerit: *Positus est in ruinam multorum?* Audite ipsomet Salvatorem, qui in superiori cum Nicodemo habito discursu immediata subjungit, dicens: *Hoc est autem judicium;* quasi dicat: Hæc est unica, et sola causa, quare ex Salvatore et Redemptore multis in Judicem convertat inexorabilem: *Quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, evant enim eorum mala opera:* plus etenim voluptas, divitiæ, gloria mundana, cunctaque alia inordinatorum appetituum nostrorum objecta diliguntur, quam a nobis propria æterna salus ametur.

7. — Sancta Mater Ecclesia in hac festivitatis canit: « Hodie per totum mundum melliflui facti « sunt coeli, » quibus verbis ad nectat et ambrosiam paradisi alludit, quæ hodie super omnes novæ legis Evangelicæ fideles in magna copia depluit; siquidem in Christi Incarnatione omnes sunt dono- rum, gratiarum, auxiliorumque celestium copiosissimo torrente perfusi. Advertendum est autem, quod sicut suavitate mellis nulla alia reperitur major, ita quoque nulla est amaritudo similis illi, quæ causatur a melle, quod in stomacho infirmo et languido recipitur; eodem quoque modo asserere possumus, quod Filius Dei per suum in hunc mundum adventum in iis animabus, quas bene dispositas esse deprehendit, salutem quidem operetur;

veruntamen iis, qui male et irreverenter illum tractant, non minus se exhibebit severum et rigoro- sum. Unde Eusebius Emisenus, *Hom. iv, ad Monac.*: « Tanto graviora erunt humana delicta, « quanto majora se ostenderunt divina beneficia. » Valde etiam consideranda venit illa dictio, « Israel »; *Positus est in ruinam Israel.* Porro de hoc populo Psalmista, Ps. cxlvii, 20, scribit: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis,* et idem, Ps. lxxv, 4: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Huic namque populo inter omnes alias totius universi nationes, sui accuratam tolerat fidei notitiam, huic sacre Scripturæ legem peculiari privilegio dederat: ad eundem quoque Prophetas in magno numero miserat; multos enim Patriarchas sanctitate insignes habuerat, sacerdotii, templi, sacrificiorum et regni honore eundem decora- verat, ipsemet in medio illius populi natus fuerat, Evangelium eidem ore proprio annuntiaverat, multosque ejusdem populi contribules, per tot patrata miracula variis beneficiis affecerat; quid igitur mirum, si eidem tot collatis bonis abutenti severum et rigorosum supplicium indixerit? *Positus est hic in ruinam Israel:* id quod deinceps vere et perfecte ad litteram adimpletum fuit, siquidem populus iste a tot retro sæculis ad hæc usque tempora, velut mancipium, et cjugislibet gentis ludibrium, inter omnes totius terræ populos, dispersus miserime oberrat. Unde S. Gregorius Nyssenus, *In Cat. Græc.*, ait: « Judeis specialiter minatur ruinam non solum « a spiritali salute, sed etiam propter destructio- « nem urbis, et habitantium civitatem: resurrectio « vere promittitur credentibus, partim vero velut « conspuitur cum Christo, et ei consurgentibus. »

In ruinam.

8. — S. Ambrosius, *in Luc.*, in hisce verbis Christum ut Judicem observat, quasi iisdem verbis nobis decreverit: « Non est quod vobis tantum per « Filii Dei, tanquam Salvatoris, benignitatem « adblandiāmini, » quin potius dirigendus quoque est oculus vester in divinam ejus justitiam; siquidem etiam tanquam Judex in fine sæculorum ad nos venturus erit, « ut iustorumque merita discernat, « et pro nostrorum qualitate ætorum Judex verus « et justus aut supplicia decernat, aut præmia. »

9. — Dionysius Carthusianus Christum in reproborum et incredulorum ruinam et perditionem venisse scribit: « Generaliter loquendo, Christus « venit in ruinam omnium reproborum seu incre- « ditorum. » Id quod etiam in Nazianzeno, *Orat. ad cives Nazianzen.*, hisce verbis scribitur: « Chris- « tus in ruinam, et resurrectionem multorum posi- « tus est, in ruinam nimirum incredulis, in resur- « rectionem autem iis, qui fide præditi sunt. »

10. — Glossa per hanc ruinam exterminium intelligit vitiorum: « In ruinam vitiorum; » quod

Theophylactus multo apertius dicit: « In ruinam « positus est Dominus malorum, quæ in animabus « nostris, in resurrectionem vero bonorum, cadit « fornicatio, surgit continentia. » Cujus moralitatis Origenes primus ante omnes alios auctor extitit, qui dicit: « Habeo aliquid in me, quod male stat, « et peccatis superbiæ se ingerit, hoc cadat, hoc « subruat, postquam ille venit, et nunc quod in me « malum fuit, corrui; » unde monet, ut in nobis adimpleatur illud Apostoli consilium: « *Mortificate « membra vestra super terram, fornicationem, luxu- « riam, idololatriam, beneficia, etc., horum omnium « utilis ruina facta est, una hæc est ruina, ad quam « venit Christus.* »

11. — Theophylactus autem ruinam hæc exponit de morte Redemptoris, qua mediante futuro est, ut multe anime ad gratiam resurgant, et ad gloriam. « *Positus est in ruinam, hoc est, passu- « rus est et casurus in mortem, et cum ceciderit « ipse, resurgent multi.* »

12. — Advertendum tamen est cum Simone de Cassia, quod dum Christus dicitur positus in ruinam, id intelligendum sit *occasionaliter*, « quia « positus est in ruinam hominum vitio. » Id quod Didacus Stella per similitudinem quamdam id ipsum ad vivum exprimentem explicat, dum ait: « Lapis positus est in itinere, et ostendit iter; tu « si impingis in illum tibi imputabitur, quia ex « malitia tua vel negligentia provenit. » Propheta Evangelicæ de Messia venturo discersens, viii, 13, 14, hisce non verbis exhortatur: *Dominum sanctificate; erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, et in petram scandali, in laqueum et in ruinam habitantibus Jerusalem;* ac proinde Judæi eum crucifixerunt, Gentiles vero receperunt illum, et doctrinam ejus: illis factus est in offendiculum, quod eos in barathrum usque perditionis naufragare fecit; Gentilibus vero, qui per terras, in quibus falsa simulacra adorabantur, dispersi erant, factus est vitæ et resurrectionis instrumentum. « Est in « ruinam eorum, » inquit Albertus Magnus, « sicut « sol est in tenebras, quia ubi non est lumen solis, « sunt tenebræ, et tamen quantum est de sole, « ubique est lumen, sed id, quod interponit se, « sicut causa solis, facit quod sol illuc non effundit « lumen suum; unde, *Job., xxiv, 13, dicitur: Ipsi « fuerant rebelles luminis, nescierunt vias ejus.* »

Et resurrectionem multorum.

13. — Dionysius Carthusianus differentiam ostendit, quæ electos inter et reprobos versatur, dum ait: « Veruntamen non uniformiter venit, seu « positus est in ruinam et resurrectionem, quia in « ruinam reproborum est positus occasionaliter et « indirecte: in resurrectionem vero electorum « causaliter et directe. » Etenim ipse in hunc mun- dum venit, ut nostram operaretur salutem, nisi nos

per malitiam et obstinationem nostram nosmetipsos damnemus: *Perditio tua ea te; tantummodo in me auxilium tuum. Ose, xiii, 9.* Et in symbolo: *Propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est.* Unde Beda ait: « Bene in resurrectione, quia lumen est, quia gloria plebis Israel, quia dicit: *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum*: quomodo autem in ruinam, nisi, quia et lapis offensiois est, et petra scandali; id est, ruina his qui offendunt verbum, nec credunt, de quibus ipse dicit: *Si non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* »

14. — Chrysostomus a S. Thoma in *Catena* citatus, per hanc resurrectionem conversionem quamdam, sive laudabilem, et sanctam conversationem intelligit: « Resurrectio quidem est conversatio nova, cum enim lascivus castus efficitur, avarus misericors, atrox mansuescit, resurrectio celebratur, mortuo quidem peccato, resurgente vero iustitia. » Et quidem haec spiritualis resurrectionis operatio per Christi adventum in ejus Natalibus festis in multis animabus producit.

15. — Albertus in eundem fere sensum hisce verbis scribit: « Omnibus videlicet, qui fide et moribus convertuntur ad ipsum, et horum resurrectionis causa est ipse; est autem resurrectio culpa per gratiam; resurrexit propter justificationem nostram. »

16. — Didacus Stella, qui in addendis sensibus moralibus eximius existit, hoc post se monitum scriptum reliquit. « Nemo, quamvis sit vitis suffocatus, et jam in barathro peccatorum sepultus, desperet; positus est enim Christus in resurrectionem multorum: non est resurrectio, quin praecesserit ruina. »

17. — Est et alia quaedam ejusdem piatissimi Auctoris consideratio scitu utilissima, nimirum, quod Salvator noster per suam misericordiam in multis instrumentum fit resurrectionis; perditionis autem iis, qui eadem misericordia abutuntur: « Nam peccatores plurimi videntes Dei misericordiam, et quomodo indulget peccatoribus, resurgunt a peccatis; sed alii est in ruinam, quia videntes quod Deus misericors est, abutentes ejus misericordia, fiunt deteriores, et bonitate Dei, qua convertendi erant, abutuntur, et pejores fiunt. »

In Israel.

18. — Idem quoque ad id se reflectit, quod supra a nobis insinuat fuit, nimirum quod Christus specialiter futurus sit occasio ruinae multorum in Israel: « Non dicit positum in ruinam in

« Babylonem, sed in Israel, quia Christus magis offenditur ab his, in quos majora contulit; adductique notum illud Malchi exemplum, quod dirum illum colaphum Christo, coram facie Caiphae, infligere non dubitavit: « Quamvis plures reportaverit colaphos, tamen hunc ceteris plus sensit, quia huic sanaverat abscessum auriculam. » Quando aliquem ex sublimi valdeque eminenti loco labi contingit, lapsus talis semper est irreparabilior, quam sit ille, qui alicui in via plana accidit: eodem modo, qui lumine aliquo notitiae Dei imbuti Deum offendunt, longe sunt culpabiliores, majusque merentur supplicium quam illi qui ad tantam Dei et mysteriorum fidei notitiam introducti non sunt: *Sicut lumen eorum, ita et tenebrae eorum.* Ecce tibi hunc casum in terminis alibi ab eodem Evangelista, *Luc., x, 15,* insinuatam; dicit enim: *Tu Capharnaum usque ad caelum exaltata, ejus proinde ruina et lapsus profundior esse non potuit, quia usque ad infernum demergeris;* idque ea sola ratione, quia Capharnaum, juxta lumen et notitiam, quam de Deo habebat, minime correspondit; unde idem Stella nos et omnes alios christianos jure merito hisce verbis hortatur, dum ait: « Severa utique haec praedicatio est, quam omnes, qui Christiani sumus, saepe contemplari debemus, ut videamus quid in nobis operetur agnitio Christi, an ad meliora pergamus, an vero in deteriora ruamus. »

Et in signum.

19. — Jansenius per hoc signum stupendum aliquod in persona Christi latens prodigium intelligit: « Quod res esset nova et insolita, qualis non fuerat ab initio mundi, utpote Deus simul et homo, qui per novam suam ex Virgine nativitatem, mirabilem patrationem, crucis ignominiam, ac deinde gloriosam resurrectionem et ascensionem in magnum stuporem homines esset adducturus. »

20. — Cajetanus quoque, per signum hoc, eadem prodigia intelligit, quod scilicet tenet quidam infans in tanta paupertate natus, tandem in adultiori aetate per miracula adeo fuerit factus gloriosus atque conspicuus: « Pauperculus tot et tanta miracula faciens, postea crucifixus, ac resurgens ex mortuis, appellatur signum. »

21. — Hugo Cardinalis ait: « Multipliciter positus est nobis Christus in signum; positus est enim in praesepio in signum paupertatis et humilitatis; et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio; item positus est in cruce, in signum patientiae et obedientiae. »

22. — Idem quoque eminentissimus Doctor, in signum glossat, ut idem sit, quod in sigillum, « ut in eo imprimamur per imitationem operis; »

neque enim Filius Dei eo solum sine descenderat, ut mundum redimeret, verum etiam ut semetipsum normam exhiberet christianae vivendi; ac proinde nos invitavit, dicens: *Discite a me.* Didacus Stella ait: « Positus est Christus in signum humilitatis in praesepio, in signum paupertatis in Purificatione, et in signum charitatis et patientiae in Passione; sed huic signo contradicunt superbi, iracundi, avari, denique omnes peccatores. »

23. — Dionysius Carthusianus signum hoc de Christo ut mediator et pacificatore exponit: « Potest exponi de signo pacificationis, ut sit sensus: *positus est in signum foederis et reconciliationis, seu pacis inter Deum et hominem, quia scilicet factus est mediator Dei et hominum.* » Unde ipsum in arcu coelesti praefiguratum fuisse dicit, de quo Deus ait: *Arcum meum ponam in nubibus, et erit in signum foederis.*

24. — Euthymius per hoc signum vel metam, Christum crucifixum interpretatur: « Quidam signum, cui contradicunt, dicunt crucifixionem; signum quidem quasi symbolum amoris erga homines: nam hanc propter homines sustinuit. » Porro serpens aeneus in ligno elevatus, Christo ipsomet teste, ejus crucifixionem praesignavit; de hoc autem dicitur, *Num., xx, 8: Pone eum pro signo,* etc. Enimvero quidam in eo latet mysterium, quod Christus vix etiam natus, et fasciis involutus a Simeone sene in patibulo velut extensus representatur: et similiter sancta Mater Ecclesia in ritu, divinarumque officiorum directione, a Spiritu Sancto gubernata, hoc Evangelium, ut infra octavam Nativitatis ejus legeretur, ordinavit. Cur ita? Sine dubio id factum est, ut nos fideles inde doceremur, quod licet triginta tres annos moratus fuerit, priusquam in cruce moreretur, nostraeque redemptionis pretium actualiter expediret, nihilominus a primo non solum Nativitatis, sed et Conceptionis suae instanti, dolorosissime passionis suae dederit initium, *Psal. lxxxvii, 16: Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Aliqui apud Lorinum pro juventute, legunt a puero, Chaldaeus legit *caprians, alii moriens, moribundus, agonizans, pene mortuus a puero;* unde pie meditari possumus, quod Christus tenellus adhuc infans existens, lachrymas loco sanguinis effuderit, seque a stirpibus feno permixtis, loco spinarum compungi permiserit, quod in praesepio libenter nudus contremuerit, cogitando, sibi quae imaginando nuditatem crucis: quod denique in duobus illis jumentis, duos agnovit latrones, in quorum medio suo tempore debet esse suspensus; ac proinde ubi nostra Vulgata in Habacuc, *ii, 2, legit: In medio annorum nobis facies,* Septuaginta legunt: *In medio duorum animalium cognosceris.* Et S. Hieronymus communem secutus opinionem scribit, per duo isthaec animalia proprie praenotari duos latrones cum Christo cruci-

fixos. « Porro interpretatio et opinio vulgi de Salvatore intelligit, quod inter duos latrones crucifixus agnitus sit. »

25. — S. Bernardus, *Serm. v de Pass.,* etiam Passionem Redemptionis non solum una nocte et die, sed toto tempore vite ejus durasse dicit: « Crux Christi non fuit unius diei, sed tota ejus vita crux fuit; » idque per propheticum illud Isaiae, *ix, 6, oraculum probat, dicentis: Parvulus natus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, quibus verbis natalis pariter cum ejus crucifixione conjungit.*

26. — Idem mellifluus Doctor, *Serm. xxvii,* ait: « Crucem quam imperii nomine significavit, nativitati statim adjunxit, quia profecto a nativitate exordio, passio crucis simul exorta est. »

27. — Auctor operis imperfecti, *Hom. ii,* in ea est opinio, quod Jesus infans, se in prodigiosa illa stella, tribus Magis Orientalibus videndum praebuerit, veluti crucem in humeris gestantem; estque satis credibile, quod ob eamdem causam eisdem tribus Magis inspiraverit, ut inter caetera dona regia, ipsi quoque myrrham offerrent, denotantem ejus sepulturam. A Spiritu Sancto, qui Incarnationem Verbi in utero Virginis operatus fuit, dictata sunt verba sequentia, *Heb., x, 3, 6, 7: Ingrediens mundum, dicit: Hostiam et obsequium nobis, corpus autem apertum mihi, holocaustum pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio.* Quem textum Doctor Angelicus ad propositum nostrum declarat dicens: « Quomodo aptasti mihi in Conceptione; tunc dixi: Ecce venio ad passionem; » alii loco aptasti, legunt *perforasti.* Quo mysterio factum fuisse existimatis, quod Christus eo tempore, quo barbara illa innocentium puerorum strages instituebatur, per infallibilis et coelestis providentiae consilium fugam suam in Aegyptum adorsus fuerit? Num forte alia et deerant loca, in quibus abscondi poterat is, qui S. Felici Episcopo Nolano, ut illum a suis persecutionibus tueretur atque defenderet, vel ex ipsis anarum telis munimenta, et fortalitia fabricare novit? *Omnia in figura contingebant.* Porro de hoc Agno immaculato, qui veluti hostia quaedam pro humani generis redemptione sacrificanda erat, scribitur, *Apoc., xii, 8,* quod sit *Agnus occisus ab origine mundi.* In Aegyptum igitur se contulit, ubi ante tot elapsa secula jam dudum in figura sacrificatus fuerat, utque Hebraeorum fores Agni sanguine in signum secuturae salutis, quod videlicet ab Angelo, omnia Aegyptiorum primogenita percussente, ejusque gladio eximendi essent, consperse fuerant, quia nimirum tener et innocens Agnus Christus per hoc, quantum ab illo tempore usque ad imminentes Passionis suae horam sanguinis, pro salute mundi effundendi cupidus fuerit, ostendere voluit.

28. — S. Bernardus, *de Pass., c. ii,* sollicitudini

nem Christi devote meditatur, quam vix etiam natus ad venas suas aperientes in se habuit, et palam ostendit : « Vide quantum ad suscipiendos « dolores festinavit, quam paratus et promptus « sanguinem effundere, circumcisis pro nobis, die « Nativitatis suae octavo. » Enimvero videri nonnemi convenientius poterat, quod cum in hunc mundum venerit, ut totum illuminaret universum, depulsisque ab humano genere infidelitatis tenebris, lumen et divini numinis notitiam et agnitionem ei communicaret, alibi quam in Judaea seu Hebraismo natus fuisset, siquidem jam dudum : *Notus erat in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus.* Cur non potius in urbe Romae, quae nobis caput est, natus fuit? de qua S. Leo scribit, quod « omnium gentium « servitatis erroribus, » et maxime orationem, quam idem Sanctus ibidem subiungit : « Quae usquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? » S. Irenaeus, lib. III, 7, difficultatem hanc in favorem propositi nostri praesentis resolvit, dum ait : « Ideo Christus « nascitur in Judaea, et non in gentibus, quia gentilitas carebat circumcissione, et ideo in Judaea « ostentat gloriam in primordio Nativitatis suae in « effusione sanguinis. »

Cui contradicetur.

29. — S. Augustinus, *Lib. Quaes. in Ev. IV, q. 36*, scribit : « Duo genera hominum demonstravit, et « contradicentium gratiae Christi, et percipientium « gratiam Christi, ut illis sit aqua contradicentis, « istis sanctificationis; nam de ipso Domino in « Evangelio legitur : *Et in signum cui contradicetur.* »

30. — Dionysius Carthusianus distinctionem quandam signorum instituit; vel enim intelligitur signum quoddam significativum, quale est haedera in tabernis; vel etiam miraculum, quod signum quoque dicitur : *Nisi signa et prodigia videritis; vel etiam insignia quaedam, qualia in vexillis insui vel pingi solent, ad discernendos unius et alterius partis milites; demum vero omnia haec signa Salvatori nostro adaptat, dicens : « Juxta primam acceptio- « nem sensus est, positus est Christus in signum, « id est ad evangelice veritatis doctrinam insinuandam, seu proponendam, cui a multis contradicetur, vel verbo, vel opere, vel modo utroque « inobedientes, nam christianis opere contradicunt; juxta secundam acceptioem sensus est, « positus est hic in signum, id est, miraculum, « quia et ipso Christo homine de Virgine nato « mirabilis quid est omnium, quae de Christo « narrat Scriptura, signum est hoc, id est, miraculum, cui contradicetur, et per hoc universis, ut « quod Mater virgo est; quod in unitate personae sit Deus et homo; quod veraciter surrexit. » Huncque Origenis sensum esse dicit : « Juxta tertiam acceptioem, per signum intelli-*

« tur crux Christi, seu fides Christi, quo signo « distinguuntur servi Christi a servis diaboli, dum « signum istud ab illis honoratur, ac fronti imponitur, ab illis contemnitur. »

31. — Tertullianus, *de Car. Christi, c. xxm*, eodem quo Origenes modo, hanc contradicentioem exponit in ordine ad fidei nostrae articulos, humana ratiocinatione imperceptibilem. « Propterea dabit « Dominus vobis signum : *Eccc virgo concipiet; « agnosceimus ergo signum contradicibile, concep- « tum et partum Virginis Mariae, de quo Academici « isli : Peperit, et non peperit, Virgo et non Vir- « go. »* Quibus tamen Tertullianus respondit : « Peperit, quae ex sua carne, et non peperit, quae « non ex viri semine; et virgo quantum a viro, et « non virgo quantum a partu. »

32. — Signum quoque dici potest scopus seu meta, vel album in quod sagittatis acies et sagittae diriguntur; quo etiam modo innocentia pariter et sanctitas Christi signum dici potest, quia ejus innocentia signum fuit, in quod Hebraei pungentia calamitatum, improperorum et persecutionum suarum fulmina, et sagittas evibrarunt. Toletus dicit, quod hoc signi nomine vexillum intelligatur bellicum, sub quo milites adversus hostes conscribi solent : « Hoc signum Christus extulit, quando sua « praedicatione et doctrina Judeos ad Evangelium « convocavit, et quando Apostolos in mundum « misit annuntiare adventum suum; sicut igitur « vexillis solent adversari hostes, qui contraria « sequuntur signa et vexilla, ita Christus in hoc « mundo, quando militiam suam instituit, habuit « multos ex Judaeis, qui ei contradixerunt. » Contradictiones enim passus fuit, quoad progeniem et generationem suam humanam : *Nonne hic est filius fabri, et mater ejus Maria?* Quoad patriam in qua conceptus et educatus fuerat : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Similiter quoad provinciam, ad quam spectabat : *A Galilaea Propheta non surgit.* Quoad personam : *In furorem versus est.* Quoad doctrinam, quae miraculosa videbatur et infusa : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Quoad vitam et mores : *Scimus, quia hic homo peccator est.* Quoad religionem et cultum divinam : *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit.* Quoad conversationem ejus familiarem : *Eccc homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* Quoad propositos sibi operum suorum bonorum fines et intentiones : *Et murmur multum erat in turba de eo, quidam enim dicebant : quia bonus est : alii autem dicebant : non, sed seducit turbas.* Quoad patratam ab illo miracula : *In Bethsaida princeps demoniorum eiecit daemones.* At vero prout optime Toletus considerat : « Nihil fecerunt, nam hic « positus et firmus permansit in vexillum contra « dictionis, et sagittae parvulorum factae sunt plaege « eorum. »

Additiones.

a. — *Benedicti illis Simeon.* Erant supra modum benedicti parentes Jesu, Maria quia concepit et peperit, Joseph quia educavit; erant benedicti benedictione in coelestibus. Ad quid igitur haec Simeonis nova benedictio? Respondetur, quod quia haec fuit prima Christi in templo praesentatio, videtur, locum illum sacrum novam quamdam extersisse benedictionem. In locis enim sacris Deus nobis abundantius benefacit.

Non sine mysterio, Propheta Regius, postquam nos in domo Dei, innumeris bonis locupletandos et cumulandos esse dixisset his verbis, *Ps. lxxv, 5 : Replebimur in bonis domus tuae, eandem domum sanctam esse statim subiunxit : Sanctum est templum tuum,* quasi unumquemque nostrum monere voluisset, ut pro beneficiis, quae quotidie in domo Domini unanimiter congregati recipimus, grati esse studeamus; quod fiet si in eo velut in loco sanctitatis pleno, reverentes nos et obsequiosos exhibeamus. Dicit igitur Psalmista : *Replebimur in bonis.* Et ideo S. Bernardinus ait : « Sunt honoranda templa, « propter diversa beneficia nobis in eis data, » quae profecto et multa sunt, et valde considerabilia. In *Isaia, lxxvi, 6*, Deus dicit : *Quae est ista domus quam visitabis mihi? et quis est iste locus quietis meae?* Sed cur obsecro domum suam, vel templum suum, locum quietis suae appellat? Nostis quod Salvator noster animarum salutem cibum suum appellaverit, ad significandum infinitum gaudium, quod animas hominum salvando experitur. Eadem igitur ratione dicere possumus quod templum locum quietis suae, sive centrum suum appellaverit, propter immensam satisfactionem quam ex eo percipit, quod nos gratis suis et beneficiis locupletet, et cumulet.

Quando Salvator noster, de Judeorum erga domum Dei irreverentiam lamentando dixit, *Joan, ii, 16 : Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis,* de illis meribus proprie loqui voluit, quae in ipsius templi atrio venum prestare videbat. Caeterum vero in veritate dici potest, quod domus Dei sit domus negotiationis; verissimum est enim quod domus Dei locus quidam sit, in quo magna negotia tractantur. Sed audite velim, quae in illa domo tractanda occurrunt. « Verumtamen non carnalium rerum, » inquit Anonymus quidam in *Cat. graec.*, « et quae in ventrem mittuntur, sed pretiosissimarum atque pulcherrimarum margaritarum « quae animae faciem exornant. Ista autem sunt pura « sinceraque fides, caeteraque virtutes. » S. Carolus Borromeus in littera quadam pastorali ad gregem suum extrata, ita scribit : « Haec sacra loca elegit « Deus, ut in iis fidelium orationes exaudiat; ut « mediis sacramentis suam nobis largiatur gratiam; « et mediante sacrosancto verbo suo praedicatione, « donis non spiritualibus locupletet. In sacris hisce

« locis, per Sacerdotes, aliosque ministros ecclesias, « siasticos, coelestis beatorum angelorum et sancto- « rum representatur; eo fideles concurrunt, ut in « una fide, in uno spiritu, et quasi uno eodemque « ore, tanquam unius ejusdemque Ecclesiae membra, orationes suas persolvant. »

S. Bonaventura, *Serm. iv de Dedic. Eccl.*, nullas adducit causas, ob quas ecclesiae communi nomine domus orationis appellatur, quae praesenti proposito nostro omnes opportune deservunt; dicit enim : *Domus orationis vocatur ecclesia ex octo causis. 1^o Quia ibi peccator recte orans obtinet peccatorum remissionem : Publicanus descendit de Templo justificatus. 2^o Tentatus ibi recte orans obtinet liberationem. Hugo Cardinalis ait : Locum benedictum « demones magis horrent, et angeli fovent, et « habitantes et passantes in eo. » 3^o Contra sterilitatem terre, obtinet ejusdem fecunditatem. Salomon dicit, *III Reg., viii, 35 : Si clavium fuerit caelum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto paenitentiam egerint nominis tui, et a peccatis suis conversi fuerint, exaudi eos in caelo. 4^o Quod infirmus impelatur sanitatem. S. Augustinus, in Sermone cxxv de tempore, sic loquitur : « Qui in infirmitate ad Ecclesiam concurrerit et corporis san- « nitatem recipere, et peccatorum indulgentiam « merebitur obtinere. » 5^o Tristis consequitur juvenilitatem. David, *Ps. xlii, 4*, dicit : *Quare tristis es anima mea? Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam. 6^o Impetrat prosperitatem. Cujus prosperitatis apud Isaiaem, lvi, 7, a Deo habemus promissionem : *Laetificabo, inquit, eos in loco orationis meae; id est; in Jerusalem, qui est locus quem elegi ad adorandum, dabo eis multa prospera. 7^o Conversus ad Deum habebit victoriam. In locis enim sacris inimicum infernalem facilius in terram prostraverit possimus. Legimus, *Psalm. xiv : Domine qui habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam... Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat. 8^o Captivatus adipiscitur incolumitatem. Hi enim qui propriarum passionum suarum servi sunt et mancipia, in locis sacris per morum reformationem, perque veram penitentiae actus libertatem adipiscuntur Filiorum Dei.*****

b. — Proprium est majoris minorem benedicere. Unde ergo fit ut Simeon Mariae et Joseph bene-

dicat? Simeon sacerdos erat, et Carthusianus ait: « Quamvis Simeon minor esset illis sanctitate, erat tamen major dignitate, *nempe officio sacerdotali.* » Ex quo videre est quanta sit dignitas et potestas sacerdotum, praesertim novae legis. S. Bernardinus pronuntiat quoddam S. Francisci citat, dicens: « Gloriosus Franciscus ait fratribus suis: Audite, fratres mei: si Beata Virgo honoratur, ut dignum est, quia Filium Dei portavit in sanctissimo utero suo; si Baptista contremuit, et non audeat contingere sanctum Dei verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus latuit, tanta reverentia veneratur; quantum debet esse sanctus, et justus, et dignus, qui jam non mortuum, sed glorificatum et in aeternum victurum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, et atque ore assumit, et aliis quoque porrigit ad sumendum? »

Multa sunt et varia Sacerdotibus assignata epitheta quae illos, ut altissime dignitati suae respondeant, ad multas obligant virtutes.

Salvator noster cum discipulis suis colloquens, variis, iisdemque honorificentissimis titulis eos decoravit, dicens: *Vos estis sal terrae; vos estis lux mundi; non potest civitas abscondi, etc.* Ecclesiastico Dominus titulo *salis* afficit, quod attributum Hugo Cardinalis considerans, ita eos alloquitur: « Verbo et exemplo alios debetis condire; vos habetis totius orbis legationem; vos estis condimentum universae carnis. »

Vos estis lux mundi, quia, inquit Lyranus, « Sacerdotes debent alios illuminare. » Imo quemadmodum omnium creaturarum nobilissima, pulcherrima et dignissima, summeque huic mundo necessaria, est lux, ita omnes inter status et personarum conditiones vocatio dignissima, utilissima, maximeque necessaria est Sacerdotum, a quibus omnium dependet bonorum communicatio.

Non potest civitas abscondi supra mentem posita. Ita Sacerdotes alloquitur Hugo Cardinalis: « Vos estis civitas, in protectionem et defensionem aliorum, pro quibus debetis vos opponere, tanquam murum. »

Nicolaus Pontifex, *Epis. xxxii ad Francie* Episcopos scribens, eosdem titulo stellarum honorare non dubitat, dum inquit: « Stellae verbum vitae continent, et morum, ac virtutum lumine longe lateque proximos illustrantes; » quibus deinde subjungit quod his resplendentibus stellis, Ecclesia caelum veraciter denominari possit, Cui S. Bernardus incontinenter suscribit, *Serm. xvii in Cantio.*, dicens: « Habet Ecclesia caelos suos homines spirituales, a vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis; hi enarrant gloriam Dei. » *Qui ad justitiam erudunt*

multos, quasi stellae sunt, in perpetuas aeternitates, inquit Daniel, xii, 3.

S. Isidorus Pelusiota, sacri altaris ministros vocat *oculos Ecclesiae*. S. Carolus Borromeus in concione ad clerum et ecclesiasticos in synodo habita discursum suum dirigens illos pupillam oculorum Dei esse dixit: « Illi sunt pupilla oculorum Dei. »

Theodoretus ponderans verba *Psalm. xiv, 31*: *Vultum tuum deprecabuntur divites plebis*, ait: « Vultus Ecclesiae proprie dicitur ipse Dominus est; etenim caput est corporis, siquidem ipsum ait, dedit caput super omnia membra Ecclesiae. Deinde Sacerdotum ordo velut quaedam facies est Ecclesiae, tanquam majori spiritus dignitate exornatus. »

S. Bernardinus, Sacerdotes os Ecclesiae esse his verbis asserit: « Totius Ecclesiae os sunt, de quo dicitur: *In medio Ecclesiae aperuit os ejus et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus.* » Porro lingua Sacerdotis tanta est efficacia, quanta est lingua ipsiusmet Dei. Etenim de Altissimo dicitur: *Dixit et facta sunt.* Lingua autem Sacerdotis efficit ut creatura transmutetur in Creatorem, panis in corpus Christi, vinum in sacratissimum ejus sanguinem. « Sacerdos, sola lingua aperit et claudit caelum, ipsumque rerum omnium Creatorem de caelo in terram, sub specie panis descendere facit; estque advocatus apud Deum pro universo mundo. » Haec sunt verba venerabilis Patris Avile.

S. Cyrillus Alexandrinus, verba illa *Isaiae, 1, 6*: *Omne caput languidum, et omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas*, declarans, per caput regem interpretatur, per pedes subditos, per cor autem Sacerdotes. Sicut enim cor in humano corpore primum est mobile; ita quoque Sacerdos in republica est primum et praecipuum omnium bonorum gratiae instrumentum.

Sententia est S. Ambrosii, sublimis dignitatis sacerdotalis expressiva, qua dicit: « Sacerdotis officium est Spiritus Sancti. » Spiritus Sanctus donorum, honorumque spiritualium est thesaurus; ita Sacerdotes instituti sunt ut sint eorumdem thesaurorum dispensatores; quos prout Apostolus vocat, *I Cor., iv, 1*: *Dispensatores mysteriorum Dei*. S. Bernardus, *Serm. iii, in Virg. Nativ.*, ait: « Nihil nos Deus habere voluit quod per manus Mariae non transiret; » idem quoque, ni fallor, de Sacerdotibus asserere possumus, de quibus S. Carolus Borromeus exclamavit dicens: « O magna et indycta Dei instrumenta, Sacerdotes, a quibus omnium populorum pendet beatitudo! » Albinus Alcuinus Sacerdotes signiferos appellat vexilli Sanctae Crucis, ait enim: « Isti in prima acie vexillum Sanctae Crucis, non segniter sublevare debent, et ad omnem impetum hostilis exercitus intrepidi stare. » Addentur et haec verba S. Ambrosii, de

dignit. Sacr., III: « Sacerdotes sunt propago sanctificata, duces gregis Christi... Nihil est in hoc saeculo excellentius Sacerdotibus. »

c. — *Eccc positus est hic in ruinam et in resurrectionem matorum in Israel.* Justis ipsis haec verba timorem afferant, quia, ut ea Cardinalis Hugo explicat: « In ruinam stantium, id est, sese stare reputantium, et in resurrectionem cadentium, id est, se reputantium cecidisse. » Quare nec justis stare praesumant, sed caute omnia pericula peccatorum fugiant, ne de propriis viribus praesumentes, mediis in occasionibus misere corruant. In *Prato spirituali*, de quodam anachoreta legitur, quod cum sportas suas divenditurus Alexandriam ingressus, juvenem quendam et taberna publica egredientem observasset, eundem salutaris quaedam cor correctione, de indignitate facti commoverit, ab eoque sequens retulerit responsum: « Vade, senex, in viam tuam; Deus non quaerit nisi cor mundum et purum. » Ex quo responso optimus senior obstupescit, elevatis in caelum manibus dixerit: « O Domine Deus, laus tibi sit et gloria! Ecce quinquaginta annis in solitudine dego, et cor mundum non habeo. Hic vero juvenis, in locis dissolutis frequenter agens, cor purum et mundum illibate conservat. » Idem quoque plurimis qui se justos existimant perseverare posse in mediis peccatorum occasionibus aptissime dici posset. Multi enim religiosi in claustris reclusi, vel sepulti in eremis, continuisque ciliciis et disciplinis assuefacti, in meditationibus et contemplationibus continuis absorpti haerent, et tamen in conservandis virtutibus mirabiliter laborant et sudant. Qua igitur ratione fragiles hujus mundi homines in medio ludorum, spectaculorum, tripudiorum conviviatorum, variarumque aliarum dissolutionum positi sperare audebunt, quod inter haec omnia immaculatos se a peccatis conservare poterunt? Quis Davide circumspicitor fuit et cautior? Quis in tuendo Dei honore ardentior, aut zelosior existit? Et tamen unicus incautus e longinquo in mulierem defixus aspectus, perniciosissimum in adulterium, homicidium, et scandalum publicum prout praeparavit supplicium. « Vidit atque oculo vulneratus est, » dicit D. Chrysostomus. Cervus a sagitta sauciatus ambulat quidem et sanus esse videtur, et tamen ferrum secum defert, quod paulatim eidem mortem affert. Verissima semper est SS. Augustini et Cypriani propositio: « Lubrica est illa spes, quae inter fomenta peccati salvari se sperat. Impossibilis liberatio est, flammis circumdari, et non ardere. » Verissimum item est illud Sapientis, *Ecl., xii, 2*, dictum: *Vinum et mulieres apostatae faciunt septientes.* Ubi notandum est verbum *apostatae*; per hoc enim lapsus talis alicujus insinuat, qui antea timoratus, justus et virtuosus existerat. Syriaca legit: *Lascivire faciunt cor.* Et Hugo Cardinalis,

apostatae exponit ut sit idem quod *jugum Domini abjicere.*

d. — Perquam eleganter, S. Fulgentius, lib. IV, 4, ad *Thrasymundum regem*, apte ad hunc textum: *Eccc positus est hic, etc.* scribit: « Ibi ergo male credentibus ruinam perfidia generat, ubi recta credulitas fideles exaltat. » Sic loquens recte ponderat, quod perfidia tribuatur ruina, fidei vero exaltatio. Fides enim nostra est omnium honorum nostrorum principium et fundamentum; siquidem homo sine illa nihil quod sit bonum, Deo gratum, et aeternae vitae meritum operari potest.

Postquam S. Paulus Apostolus, evangelica sortitus fuisse praedicationis ministerium, eandemque jam de facto Corinthiis annuntiasset, se eandem ibidem velut sapiens architectus, fundamentum loco possuisse asserbat, dicens: *Secundum gratiam, etc.* ut Glossa Interlinearis exponit: « Fidem Christi; » cui consonant angelici Doctoris verba dicens: « Fundamentum spiritualis aedificii collocavit Corinthis; » moxque quoddam hoc fundamentum fuerit, declarans, subjungit: « Hoc enim fuit prima praedictio fidei. » Dionysius quoque Areopagita, velut ab eodem Apostolo eruditus discipulus, hoc fidei epithetum attribuit: « Divina fides, quae est constans fidelium firmitermentum, fundans illos in veritate, atque in ipsis veritatem. » S. Isidorus, inter fidem et alias virtutes theologicas, differentiam assignans, ait: « Inter fidem, spem et charitatem hoc distat: Fides est divinitatis confessio, et religionis solidum fundamentum. » S. Bernardus hanc virtutem totius aedificii spiritualis lapidem fundamentale constituit inquit: « Fides est fundamentum totius aedificii spiritualis, id est, omnis gratiae et omnis gloriae. » Vae igitur nobis, si hoc fidei fundamentum in anima christiani hominis subvertatur. Quis enim tunc se contemni sineret, aut quis suimetipsius contemptum sibi persuaderi permitteret, nisi axioma illud Evangelicum verissimum esse sciret, quod dicitur: « Qui se humiliat, exaltabitur. » Quis persecutionum sevitiae libens occurreret? Quis ciliciis, disciplinis, jejuniis alicujus vitae rigoribus suam maceratus esset carnem, omnibusque carnis voluptatibus perpetuo abstineret, nisi firma fide crederet promissionibus Christi?

Ensebius Emissenus, *Hom. ii de Symb.*, dicit: « Fides religionis catholicae lumen est animae, ostium vitae, fundamentum salutis aeternae. » Sicut enim fundamentum collescens, tota fabrica corruiat, ita quoque, si fidei fulcrum subvertatur, aedificium spirituale disperditur, et qualisunque boni operis meritum, totaliter evanescit. Unde S. Bonaventura, *Serm. iii, in Dom. XXIII p. Pent.*, ait: « Sicut fundamentum ratione suae fortitudinis sustentat fabricam materialem, sic, in fidei substantia

« et soliditate; collocatur et sustentatur ædificium spirituale. »

Incarnatio, in virginali Deiparæ utero consummata, ex fide Mariæ perfectissime exercitata, basim suam accepit, S. Elisabeth attestante, dum ait, *Luc.*, 1, 45 : *Beata que credidisti, quoniam perficerentur in te, que dicta sunt tibi a Domino.*

S. Bonaventura, eodem quo supra Sermone, dicit : « Quemadmodum corpus non potest sustentari sine anima, quantum ad esse naturæ, ita nec anima sine fide, quantum ad esse gratiæ, quoniam sine fide impossibile est placere Deo. » S. Chrysostomus, *Serm. de Fide et lege naturæ*, evidenter probat, quod opera nostra, quantumvis illa bona sint et virtuosa, nisi in fide fundentur, Deo accepta esse nequeant : « Ante opera, » inquit, « fides primum induenda est, cum qui operatur opera justitiæ sine fide, nos potest probare viva fuisse. » Demum vero, neminem unquam hominum, in virtute bonorum operum justificatum fuisse, concludit, quin in illo primum fides processerit, idque Centurionis exemplo, probans, ait : « Opera per se nullo unquam operarios justificaverunt, et vis plane « videre quod opera sine fide non justificant? testimonium habuit Cornelius, etc... » Cujus historia in *Actibus Apostolicis*, x, 2, seriatim describitur. Etenim vir ille, elemosynarius, orationi deditus, in Dei timore solidatus erat, illiusque exemplo isdemque dictaminis, universa ejus dirigebatur numerosa familia. Atvero putas hæc omnia ad acquirendam gratiam et amicitiam Dei, necnon ad perficiendam justificationem suam illi sufficere? Audi S. Chrysostomum : « Et quia vidit bona « habebat, milititavit divinum Angelum, qui operibus « præmia proponeret, ita ut bene certando, ob « fidem coronari posset... Nondum habuit Cornelius ex operibus salutem, donec operibus suis « fidei acquirendum præmium offerret. » Iterum dicit in eodem sermone S. Chrysostomus : « Nihil « extra fidem bonum, et ut quadam verbi similitudine utar, similes mihi videntur qui operibus bonis « florent et Deum pietatis ignorant, reliquis mortuorum pulchre quidem indutis, sensum autem « pulchrorum non habentibus. »

e. — Optime, ut præcedenti explicatione dictum est perfidius seu incredulitati tribuitur ruina, fidei vero exaltatio. Quæ explicatio confirmatur ex S. Gregorio Nysseno, in *Catena*, S. Thomæ, quia quando Simeon loquitur de auxilio et salute a Deo hominibus præparata, loquitur per respectum ad omnes : *Quod parasti ante faciem omnium populorum, quia Deus, ex se, omnibus dat salutem et sufficientia media. Cum vero sermo est in ordine ad executionem et effectum, ait, per respectum ad multos : In ruinam et resurrectionem multorum; quia multi efficiuntur Dei auxilio in Christo, vitam et gratiam et*

gloriam invenerunt; multi vero etiam ruinæ et damnationis occasionem habuerunt : ii vel maxime fideles qui promissiones factas in Baptismo non adimpleverunt, et communicato lumine fidei non correspondenterunt.

Dum enim animæ nostræ character baptismalis imprimatur, nos ad divinum servitium exacte et inviolabiliter præstandum obligamus, Dei quoque veri lumen et notitiam recipimus, ejusque voluntati nostram attemperamus; consequens igitur est, ut si infideles et perfidi fuerimus, severissima justitiæ vindictivæ Dei supplicia nobis conciliemus. Et hæc sunt quæ Christus nobis comminatur dicens, *Luc.*, xii, 47 : *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui et non fecit, vapulabit multis.* Unde verissimum est illud a Salviano Christiani sæculi traditum monitum, in quo ait : « Utinam nesciremus! minor esset « ignorantie reatus, secundum illud : *Qui nescit voluntatem Domini sui vapulabit paucis; qui autem scit, et « non facit eam, vapulabit multis.* » Quod ipsum S. Paulus quoque dicere voluit, *Hebr.*, x, 26, quando magnam hanc protestationem feci dicens : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii et ignis æmulationis.* Cujus doctrinæ rationem tradit D. Chrysostomus, dicens : « Non tam enim quasi homo « simpliciter, sed ut Dei Filii peccans, severius « punieris, et ipsa excellentia dignitatis, majoris « tibi fiet causa supplicii. » *Hom.* xi in *Matth.*

Deus noster quondam de suis fidelibus lamentaturus, ita per os Psalmistæ, *Ps.* xvii, 46, indignandus loquitur : *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Quæ verba S. Antonius de Padua ad nostrum explanat intentum : « Falsi christiani filii alieni, id est, filii « diaboli, qui mentiti sunt Domino, pactum baptismi « violando, duris peccatorum lapidibus, Patrem et « Dominum suum Christum, a quo denominati « sunt Christiani, quantum in ipsis est, quotidie « lapidant, et ipsum, id est, fidem ipsius interficere « conantur. »

Promissionem autem fallere, fidemque Deo datam derisui habere, sæpe homini vite impendio laudandum est. Quid enim putas Deus facturus est? *Deus non irridetur;* longas enim manus habet, quæ nemo evadere poterit. Divum quoque Chrysostomum, *Hom.* iv in *Matth.*, audiamus, hæc de re loquentem : « Quibus le indicis, » inquit, « ego Christianum « potero agnoscere? An quia sacra aquas fontis « ingressus es? At hoc ipsum quod tibi datum « fuerat ad salutem, fit tibi gravioris causa supplicii, « cii, honoris siquidem magnitudo, his qui non « digni vivunt honore, eumulus incipit esse penam. » Et quoque terribilis illa S. Cyrilli Alexandrini sententia, quæ serio ponderata quælibet consternare potest impium Christianum : « Si qui « post justificationem recidat in peccata, fidem in

« seipso quasi occidit. » *In cap.* iv *Malach.*, iv, 7.

S. Thomas de Villanova impium Christianum monet ut cum in operibus suis sit mundanus, ne dicam paganus, non gloriatur de nomine et professione sequaci Christi : quod si vero Christianus dici et esse velit, operebrat ea quæ Christiani sunt hominis, imitatur Christum, ejusque documentis vitam suam conformet. « Nam si Christum non sequeris, » inquit, « qua ratione Christianum nuncuparis? »

Doctor Seraphicus rationem reddens cur irremissibile sit dæmonis peccatum, inter alias hanc assignat : « Quanto melior est cognitio, tanto pejor « est error; servus enim sciens voluntatem Domini « sui, et non faciens, vapulabit multis. » Væ ergo illi qui in loco sacro, id est, in Ecclesia, quæ voluntatem Domini nec ignorat nec tacet, fidem nostram proficendo, scelerate vivit.

f. — Omnino semper verum est amare et non timere periculosum esse; siquidem amor sine timore facile mutatur in contemptum et inimicitias : timere et non amare durum est; nam quid timor sine amore, nisi servitus? Secure amat qui amoris jungit timorem. Timet suariter qui timori miscet amorem. Festa Natalitia jam præterita nihil ostenderunt nobis, nisi amorem Parvuli in Bethlehem recens nati. Hinc amori salutarem jungit timorem hodiernum Evangelium, ex quo docemur hunc puerum, natum quidem pro omnibus, positum tamen pro multis in ruinam. Nemo impiorum dicat : Quis puerum timeat jacentem in cunis, involutum pannis, vagientem in præsepio; quia misericors est? Nam multi dum de Dei misericordia præsumentes, eaque abutentes, in peccatis perseverant, tandem justo Dei judicio impoenitentes mori permittuntur, rigidam Dei justitiam in æternum experturi.

Mulierum fortissima Judith, ex superiori quodam instinctu Spiritus Sancti, aperte docet quod patientia et longanimitas divinæ misericordiæ, quæ peccata nostra dissimulat, ad poenitentiam et cordis compunctionem nos perducere debeat, dicit enim, *vin.* 14 : *Quia patiens Dominus est, in hoc ipso penitentiam, et indulgentiam ejus fuis lacrymis postulemus.* At vero quot sunt, qui ex hac Dei patientia contrariam deducunt consequentiam Dei longanimitate abutentes, ut in peccato continuare, vindictisque justitiæ Dei supplicia nil timere possint? Hosce Ecclesiasticus, v, 6, monet, dicens : *Ne dicas, misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miseretur.* Verum quidem est et haudquaquam in dubium revocari potest quia bonitas et benignitas Dei sit immensa, nam ut Psalmus xxxii, 5, ait : *Misericordia Domini plena est terra;* et tamen Ecclesiasticus prohibet ne misericordiam Dei extollamus, dicendo : *Miseratio Domini magna est.* At vero Lyranus ibidem Ecclesiastici sensum in hæc verba exponit : « Ne dicas, etc., de Dei miseri-

« cordia presumendo nimis. Et subdit ratio : « *Misericordia enim parcens, et ira puniens ab illo « cito proximat, secundum quod homo poenitet de « peccatis, vel indurat in illis. Ideo subditur : Ne « tardes converti ad Dominum, per poenitentiam « veram. » Sed ut S. Gregorius Thaumaturgus ait : « Quia divina Providentia non subito omnes plectit, « ob longanimitatem qua malos tolerat, et non statim in delictis ulciscitur; ideoque vir impius nihil « referre putat, si frequenter et graviter peccet, « confidens se cum innocentibus evasurum. Sed « non intelligit quod, etiam post multum temporis, « malum non latebit impunitum. Bonum ergo « maximum est, Deum pie colere. Impius ubi exciderit a pietate non diu abutitur stultitia sua. » Eusebius Gallicanus, in Homilia quadam de Bono Latrone, utilissimum hoc tradit monitum. « Odibile « est apud Deum quando homo sub fiducia poenitentia liberius peccat. » Hoc modo, ut Climacus docet, « seducit diabolus miserum hominem. Quia « dum sani sunt, suggerit eis infinitam esse misericordiam Dei et posse faciliter veniam impetrari. Dum vero in extremis sunt, proponit eis « divinæ rigorem justitiæ, et multitudinem magnitudinemque culparum suarum ut desperent. »*

Magnitudo pietatis divinæ, mentis utique nostræ capacitatem excedit, cum sit vere immensa; quod patet in hoc quod peccantes tam diu sufferunt, ita longanimitate, ut convertantur expectat, redeuntes tam misericorditer recipit, tam cito indulget conversis, tantam gratiam influit eis, ac si nunquam peccassent. Nonne infinitæ pietatis est opus hoc? Sed non minor est æquitas quam ejus pietas, et quod diutius, ut poenitentem, prestolatur et tolerat, non conversos gravius detestatur et punit.

Et quidem Deus natura sua misericors; at vero peccatis nostris irritatus, manum suam extendit ad virgum. Unde Tertullianus, I, de *Resurr. carnis*, 14, ait : « Deum dicis tam optimum quam et justum. « De suo optimum, de nostro justum. Nisi homo « deliquisset, optimum solummodo Deum nosset, « ex naturæ proprietate, et nunc etiam justum eum « patitur ex naturæ necessitate. »

g. — Christus postus est in ruinam et in resurrectionem multorum. Salvator nascitur, sed illis duntaxat, qui volunt salutem, non vero eis qui illum rejiciunt, aut ea abutuntur. Hic autem divinæ bonitatis contemptum magno cum rigore a Deo puniunt, tam in hac quam in altera vita. Et quidem illis, qui ob Dei misericordiam dissolutione vitæ et sceleribus frenâ laxant, idem objici posse videtur, quod Judith alias Bethulensibus concivibus dixit, *vin.* 11 : *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet et furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Sed quia patiens Dominus est, in*